



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXII. Posse principem professores habere, qui hæc omnia præstent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Neque rhythum exquisitè. Id autem erit, si quadantenus sit. Ex rhythmis vero Herous grandis, & dictioni accommodatus, & harmonia indigenus. Iambus autem ipsa est elocutio multitudinis. Quamobrem maxime omnium metrorum iambica affundunt, qui loquuntur.

Quin etiam vox ipsa vibratur, & meatus læuigantur, & paratur dicendi confidentia, cum recte cessisse meminit. Verum nihil æque voci necessarium est, quam moderatio, seu mutatio crebra, ut omnibus sit affectibus accommodata. Atque hæc una est ratio, cur exercitandæ iuuentuti crebro dialogismos, comedias, concertationes iniungamus, ea namque ratione vocem ad omnes animorum motus flectere consuevit; multo melius quam Græciana fistula. Sed hæc quoque res olim summis oratoribus curæ fuit. Cicero lib. 3. de orat. Ad actionis animum, atque laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet, quæ primum est optanda nobis: deinde, quæcumque erit, ea tendenda: de quo illud iam nihil ad hoc præcipiendi genus, quemadmodum voci seruiatur: eundem magnopere censeo seruandum. Sed illud videtur ab huius nostri sermonis officio non abhorre, quod, ut dixi paulo ante plurimis in rebus quod maxime est vitale, id nescio quo pacto etiam decet maxime. Nam ad vocem in dicendo obtinendam nihil est vitius, quam crebra mutatio; nihil perniciosius, quam effusa sine intermissione contentio. Quid ad aures nostras, & actionis suauitatem, quid est vicissitudine, & varietate, & commutatione aptius? Itaque idem Gracchus, quod potes audire, Cæsar, ex Licinio, cliente tuo, literato homine, quem seruum sibi ille habuit ad manum, cum eburna solutus est habere fistula, qui staret occulte post ipsum, cum concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter, eum sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut à contentione reuocaret. Audiuisti, mehercule inquit Catulus, & sepe sum admiratus hominis cum diligentiam, tum etiam doctrinam, & scientiam. Ego vero, inquit Crassus, ac doleo quidem, illos viros in eam fraudem in Republica esse delapsos: quanquam ea tela texitur, & ea incitatur in ciuitate ratio viuendi, ac posteritati ostenditur, ut eorum ciuium, quos nostri patres non tulerunt, iam similes habere cupiamus. Miste, obsecro, inquit, Crasse, Iulius, sermonem istum, & te ad Gracchi fistulam refer: cuius ego nondum plane rationem intelligo. In omni voce, inquit Crassus, est quiddam medium, sed suum cuique voci: hinc gradatim ascendere vocem vitale, & suaue est. Nam à principio clamare, agreste quiddam est, & illud idem ad firmandum est vocem salutare. Deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen inferius est, quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet, & tamen ab ipsa contentione reuocabit. Est item contra quiddam in remissione grauissimum, quoque tanquam sonorum gradibus descenditur. Hæc varietas, & hic per omnes sonos vocis cursus, & se tuebitur, & actioni afferet suauitatem: sed fistulatores domi relinquetis, sensum huius consuetudinis, vobiscum ad forum deferetis.

Vrbanitas.

Præcipuum tamen est, ut audiendo, & loquendo quasi vrbaniatè quadam coloretur oratio. Sed quis est illle vrbaniatè color? Respondet Tullius de claris oratoribus: Nescio, inquam, tantum esse quendam scio. id tu, Brute, iam intelliges, cum in Galliam veneris, audies tu quidem etiam verba quadam non trita Roma: sed hæc mutari, dediscique possunt. Illud est maius, quod in vocibus nostrorum Oratorum recinit quiddam, & resonat vrbanius: nec hoc in Oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris: ego memini T. Tincam Placentinum, hominem facerissimum, cum familiari nostro Qu. Gramio præcone dicacitate certare. Eon inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Isto ipso: Sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Gramio obruebat nescio quo sapore vernaculo: ut ego iam non mirer, illud Theophrasto accidisse, quod dicitur, cum percontaretur ex amica quadam, quanti aliquid venderet: & respondisset illa, atque addidisset, hospes non potest minoris: tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, cum statim ageret Athenis, optimeque loqueretur. Omnium (sicut opinor) in nostris est quiddam vrbanius, sicut ille Atticorum sonus.

§. 16. Magno igitur, & toto pene fructu laborum, discipulos priuant, qui hæc quasi accidentaria continentunt; vel quia res magni laboris est, vel quia præceptores ipsi, agendi leges ignorant, vel quia discipulis est hac in parte ingrata institutio, nam vocem, & gestum corrigere, ut plurimum, tacitam rusticitatis habet exprobrationem.

Actio nullo modo commendanda.

§. 17. De latinis quæ dixi, in Græcis quoque intelligi velim, quamuis in illis minus fere proficere discipulos animaduertat, quod minus illa lingua amatur, nec eam vtilitatem habere multis videtur. Quæ tamen de illis nobis constituta sunt, non omitam.

Secunda hora, ait in distributione temporis, pomeridiana, Græci auctoris postrema prælectione repetita, noua explicetur, atque exigatur. Reliquum tempus modo corrigendis Græcis scriptiõibus, modo Græca syntaxi, & arti metrica, modo Græca concertationi referuetur.

Græca lectioni tempus constitutum est.

Regula 13. auctorum delectus nobis, præstantissimosque indicat. Græca prælectio, siue Oratorum, siue historicorum, siue poetarum non nisi antiquiorum sit, & classicorum, Demosthenis, Platonis, Thucydidi, Homeri, Hesiodi, Pindari, & aliorum huiusmodi (modo sint expurgati) inter quos iure optimo S. Nazianzenus, Basilii, & Chrysostomus reponendi. Ac priore quidem semestri oratores, aut historici interpretandi; interponi autem poterunt semel in hebdomada, aliqua epigrammata, vel breuia poemata: posteriore vicissim explicetur poeta, interiecto semel oratore, aut historico. Interpretandi ratio, quanquam quæ eruditionis, artisq; sunt, respuere omnino non debet; proprietatem tamen potius, vsumq; lingue spectabit. Quamobrem locutiones aliquæ, singulis prælectionibus dictandæ.

Regula quarta decima, de præceptis Græcis ita cunct. Græca syntaxis, & syllabarum dimensio, ineunte anno, alternis diebus, si sit opus, explicanda, syntaxis quidem breuiter, præcipua quadam capitula recolendo.

Vltima pars est de eruditione, de qua ita scribitur regula 15. Eruditionis causa die vacationis pro historico, & poeta liceat interdum alia magis recondita proferre, ut hieroglyphica, ut Emblemata, ut quæstiones, ad artificium poetarum spectantes, de Epigrammate, Epitaphio, Ode, Elegia, Epopoëia, Tragedia, ut de senatu Romano, de Atheniensibus, de vtriusque gentis militia; ut de re hortensi, vestiaria, de Triclinio, de Triumpho, de Sibyllis, & aliis generis eiusdem, modice tamen.

Hæc vt oratori latino scitu necessaria sunt, ita non omnia tradidisse possunt in scholis, libri tamen vnde petant, demonstrandi.

Latissime itaque pater, quam vocamus eruditionem, omnemque historiarum, & antiquitatis cognitionem amplectitur. Hoc est historia, & eorum quæ illi adnexa sunt, ut leges, instituta, mores, scientia.

CAPVT XXII.

Posse principem professores habere, qui hæc omnia præsent.

§. 1. REM accuratius consideranti, arduum sane videbitur, hominē inuenire, qui tot, tamq; varia præstare, aut velit, aut possit. Nec inficias eo, laboribus hac in re esse maximos; quosdam etiam meorum collegarum ingeniosissimos in illo cursu, dum studendi ardore metam præteruolant, vitam posuisse, non sine dolore recordor.

Docere laboriosum est, sed hoc modo docere laboriosissimum.

Rationem vero, quæ hac in re Societas nostra vitatur, sine vlla dissimulatione proponam, nam & alios professores ad eam normam instituere principes, & Reipublicæ poterunt, qui nostræ Societatis opera non vtuntur, & cæteris religiosis ordinibus, qui iuuentutem erudiunt, hæc inutilia esse non possunt. Optimorum enim magistrorum insignia quadam seminaria, instituere magna vtilitate conceditur.

§. 2. Primum igitur est, ut in cæterum illum futurorum

Ad profes-
sionem qui
admittendi.

rorum professorum, non nisi idonei admittantur. Societas de admittendis in suorum numerum generatim ita definit. Const. p. 1. cap. 2. In vniuersum loquendo de iis, qui admittendi sunt, quo pluribus Dei donis naturalibus, & infusis præditi ad promouendum iuxta Societatis institutum, diuinum seruitium; & quo certioribus experimentis perspecti fuerint, eo magis idonei erunt, vt in eam admittantur.

Hæc in suo
seminario
Respublica
curabit.

Quod ad externa attinet, honesta specie, sanitate, ætate, & viribus ad labores corporis, qui in societate se offerunt, suffe-
rendos præditi esse deberent; & qui habere, vel certe habi-
turi esse aliquando talentum aliquod, ad eam viuandam vi-
derentur.

Admittere homines difficili admodum ingenio, vel inutiliter congregationi, licet ipsi sine non inutile foret admitti, confide-
rantes tamen instituti nostri finem, ac procedendi modum, persuademus nobis in Domino, ad ipsius maius seruitium, & laudem non expedire.

Princeps nō
professorū,
sed aliorum
quoque simi-
lem dele-
ctum faciet.

Qui ad hoc admittentur, vt in rebus spiritualibus socie-
tatem viuarent, considerando, quid huiusmodi ministerium
requirat, vt anima proximorum iuuentur, sequentibus do-
nis Dei, ornari deberent.

Quod ad intellectum attinet, doctrina sua, vel aptitudi-
nem ad eam addiscendam, & in rebus agendis discretione, vel
certe indole boni iudicii ad eam acquirendam.

Quod ad memoriam, aptitudinem ad percipiendum, & fi-
deliter præcepta retinendum.

Quod ad voluntatem, vt vniuersæ virtutis, & perfectionis
spiritualis studiosi sint; quieti, constantes, strenui in iis, quæ
ad diuinum seruitium aggrediuntur; quique zelum habeant
salutis animarum, & ea de causa ad nostrum institutum
(quod ad illas viuandas & disponendas ad vltimi sui finis de
manu Dei creatoris nostri ac Domini, consecutionem, recta
tendit) sint affecti.

In exterioribus exoptanda est sermonis gratia, ad agen-
dum cum proximis pernecessaria.

Species honesta, quæ adificationi esse solet iis, quibuscum
agitur.

Bona valetudo, ac vires, quibus ferre possint instituti no-
stri labores.

Ætas, quæ ad ea, quæ dicta sunt, conueniat: quæ quidem vt
admittantur ad probationem, excedere debet decimum quar-
tum annum; vt ad professionem vero, vigesimum quintum.

Donæ externa nobilitatis, diuitiarum, bonæ famæ, & si-
milis, vt non satis sunt, si desint alia, ita cum alia suppetent,
hæc non erunt necessaria: quatenus tamen ad adificationem
faciunt, reddunt magis idoneos, vt admittantur, qui sine ipsis
alioqui essent idonei propter dotes alias prædictas, in quibus
quo magis præcelluerit, qui admitti cupit, eo magis erit ad
hanc Societatem aptus ad domini Dei nostri gloriam; quo
vero minus excelluerit, eo minus erit idoneus. Quæ tamen
mensura omnibus in rebus retineri debeat, vnctio sancta diui-
næ sapientiæ eos docebit, qui id curæ ad eius obsequium, ac
laudem vberius susceperunt.

Quo matu-
riore confi-
lio se Deo
iungunt, eo
constantio-
res sunt, &
feruentio-
res.

Huiusmodi adolescentes, si Respublica semi-
nario deputer, non est dubium, quin copiam do-
ctorum breui magnam habitura sit.

§. 3. Hos, vel dum Rhetorices hæc studia absol-
uerunt, vel cum Logicam, Physicam, Metaphysi-
cam, Ethices, & Mathematicas cursum peregerunt,
Societas admittit. Rhetorices auditores difficilior,
quia quamuis multi maturo, prudentique iudicio
sint, malum tamen per triennium audienda phi-
losophia, & iudicium crescere, & diuturnitate, con-
stantiam roborari.

Professores
futuri ad
pietatem in-
struendi.

§. 4. Biennio integro, in domo probationis, ad
pietatem instituuntur, & in singulos dies, omnes
tota vita subeundi labores inculcandi sunt. Quam rem
optime regulæ magistri nouitiorum declarant, & in
libello de secretis Societatis Iesu ostendi. Sexto
quoque mense literas apostolicas, regulasque nouo
studio examinant, vires, animumque suum pertinen-

tant. Qui finito biennio nobis probati fuerint, si
& ipsi velint, vota paupertatis, castitatis, obedi-
entia Deo offerunt. Paratosque esse eos oportet, ad
quæuis ministeria, functiones, laborandi, docendi,
concionandi, in vtramque Indiam, & in mortem
pro conuersione gentium, proficiscendi. Idque per-
petuo monemur, ne vllam ex laboribus humanā re-
compensationem quæramus; sed totum Deo offera-
mus. Hoc quamuis ad studia non pertineat, fun-
damentum tamen studiorum est. Qui enim alium
quam Dei gloriam; iuuentutis, & quæ ex ea pendet,
Reipublicæ salutem, habet sui laboris propositum
scopum; nunquam in tanto labore perseverabit.
Qui vero contumelias, irrisiones, vincula, carceres,
naufragia, barbarorum & barbarorum, longam in to-
tam vitam molestias, sponte elegerunt, minoribus
scholarum laboribus, quamquam nulla illis in hac
vita remuneratio respondeat, non fatigantur.

§. 5. Si igitur aliqua Respublica eo modo pro-
fessores instituat, idque caueat, ne per momen-
taneos labores trium, quatuorue annorum ad quie-
tem aspirent, & honores aucupentur, iuuentutem
egregie tuebitur, atque erudit. Nunquam enim
studia serio tractant, qui velut ex via ea salutant,
alioque tendunt, & vt dicere solent, ad maiora se
natos arbitrantur.

§. 6. Biennium tirocinii, quamquam in virtutis,
& Christianæ philosophiæ exercitatione ponatur, Tirocinium
profectum tamen in literis non mediocre habet; pietatis et-
iam doctrinam, meditationem, concione, necesse est
illos fieri doctiores.

§. 7. Peracta probatione, nuncupatisque votis, Studiorum
si philosophiam ante audierunt, biennium aliud
conceditur, literis humanioribus, ac philosophiæ
repetendæ. Quod quanti momenti sit, nemo non
intelligit. Nam adolescentes, qui iam ante bonos
progressus fecerunt, sine vlllo alio labore, sine vlla
cura studiis duntaxat incumbunt. Hoc tempore di-
cendi præcepta, oratores, historias, omnem anti-
quitatis memoriam recolunt, prælectiones olim ex-
ponendas prævident, quæ in vsum futura sunt, no-
tant, orationum, & carminum dictandam mate-
riam concipiunt, & scribunt, & quemadmodum
Ciceron non in forum venit, vt disceret, sed quæ iam
didicerat adferbat, ita nostri quoque professores
non imparati ad labores proruant, sed veniunt me-
ditati.

§. 8. Si philosophicis scientiis nondum imbuti Philosophi
sunt, integro triennio in illis, non modo Gymnasi-
exercitationibus, sed etiam domesticis institutioni-
bus studiosissime erudiuntur; & tamen interea quo-
tidianæ sunt eloquentiæ quedam exercitationes, & quæntia
sub finem philosophiæ, aliquot menses se totos hu-
maniorum literarum studio dedunt.

§. 9. Hæc igitur ad instruendos magistros magno-
pere conducunt, & operæ precium esset, omnes
Respublicas sibi legem illam statuere, quæ nostris
præpositis prouincialibus lata est, & quarta est in or-
dine earum, quæ sunt de studiis. Multo ante prou-
ideat, quosnam pro vnaquaque facultate professores habere
possint, obseruatis iis, qui ad eam rem videntur aptiores, qui
docti, diligentes, assidui, ac profectus studentium, tum in
lectionibus, tum in aliis literariis exercitationibus studiosi
sint.

Neque enim viri eruditi nascuntur, sed fiunt. Sed
vt tales fiant, nulli sumptui parcendum est: omni-
bus modis, commodisque inuitandi sunt. Idem
cæteris commendatur, regulæ Rectoris nona diserte
cauer de humaniorum literarum professoribus. Ne
magistri clasium inferiorum, docendi rudes ad docendum
accedant, Collegij ex quo humaniorum literarum, & Gram-
matica

Docendi la-
bor levis est
illi, qui ad
barbaros catechi-
zandos, &
martyrum
a imos fir-
mauit.

Qui per stu-
dia ad ho-
mines ten-
dunt, etiam
ad eos festi-
nat.

Studiorum
eruditio.

Philosophi
ca exercita-
tiones mi-
nisteria
sunt.

Quantum
genia rex
aliquis do-
mine.

Quanto ad
Remp. ad-
moneatur?

matricæ magistri solent educi. Rector deligat vnum aliquem docendi peritissimum, ad quem sub finem studiorum ter in hebdomada per horam conveniant, proxime futuri præceptores ad novum instituendum magistrum; idque vicissim prælegendo, dictando, scribendo, emendando, aliaque munia boni præceptoris obeundo.

Ab inferioribus auspicantur. §. 10. Postquam autem iam in Gymnasia procedunt, omnibus esse instructi videntur, non continuo ad ea, quæ possunt docere, docendaque mittuntur, sed ab inferioribus incipiunt: Grammaticam docent, qui in poësi & oratoria facultate cum laude versari, & florere poterant. Cuius rei duplex est utilitas; Prima, quod sine labore magno, & solitudine facillora explicant, qui maiora poterant; qui enim vallum, & cibaria ferre possunt, armis non magis, quam membris ferendis fatigantur: Qui difficilima Tullii, Virgilii, Horatii, aliorumque iam callet, illi facillorum expositio, familiare colloquium est, non professio. Altera est, quod succiuius horis, & priuato studio grandiora tractare possunt, atque ita paratissimi, ad maiores scientias accedere. Denique omnia hæc in discipulorum emolumenta redundant; Fieri enim non potest, quin magister doctus, & multæ lectionis, etiam aliud agens, multa erudita spargat, quæ licet non omnibus, tamen animis capacioribus inhaerent.

Post humaniorum literarum professionem, Theologorum sunt discipuli. §. 11. Hoc cursu humaniorum literarum euolutio, ad Theologiam quadriennio audiendam mittuntur; quo tempore, & philosophiam repetunt, & ad eam docendam accinguntur. Imo vero multi iam philosophicis, & Theologicis studiis nobiliter eruditi, ut maiore iudicio eloquentiam doceant, ad illa studia redeunt.

Nihil arduum humanitati. §. 12. Omnia illa leuius reddit; primum obedientia, qua omnia velut à Deo iussa alacriter excipiunt; neque quid agant, sed quanta diligentia, caritate, humilitate officio fungantur, attendunt: Nam & humili loco norunt esse positum altissimum præmium, & quicque abiectus esse in domo Dei elegit.

Ocium profecti ne cessarium. §. 13. Carmina, inquit ille, secessum scribentis, & ocia querunt. Plurimum societatis professoribus ocium est, sed ocii negotiosi, ocii literarii. Primo quidem ex animi libertate, qui in suam potestatem se plenissime vendicauit, cum se alienæ omnino subdidit voluntati; itaque nec de præsentis statu queruntur, nec de futuro cum sollicitudine cogitant; cum cæteri hominum fore de venturis suspensi præsentia præterlabi sinant. Nulla etiam eos victus, aut vestium, aut viatici in senectutem congerendi cura torquet. Non vxorum, aut liberorum, nepotumue grauis molestia. Non conuiuia, & ebrietates, quæ tempus delectando furantur, & morbis, doloribusque post voluptatem infestant. Prandium media hora, cœnula etiam citius absoluitur; nec tamen illa refectio selectissimæ lectionis expertis est: de his plura dixi libello de secretis nostræ societatis. Plurimum etiam iuuat, multorum, & doctorum familiaritas, & colloquia, quæ sæpe studio ipso utiliora sunt. Denique librorum copia, quam pro sua facultate collegia quæque curare solent. Illum etiam post Deum, thesaurum nostrum vocare soleamus. Hunc in modum si princeps collegium aliquod ex quocunque ordine religiosorum, vel Canoniorum institueret, sane quam optime prouincis consuleret, constantemque haberet sapientiæ doctores.



CAPVT XXIII.

Philosophia utilis est Reipublicæ, & quomodo docenda?

§. 1. **M**ULTORVM in philosophos, ac philosophiam acerbant, & olim fuerunt iudicia. Nam pullos è Republica supra dixi aliorum libri exusti sunt. Numæ regis Romani libri Græca lingua conscripti, in conspectu Quiritium, auctoritate senatus incensi sunt. Lactant. lib. 1. capit. 22. Eodem iudicio Labieni monumenta, Sen. cent. 10. & Cremutii Cordi Tac. libr. 4. ann. & vita Agricola, Ingeniorum clarissimorum monumenta exusta queritur. Alsius, & Philiscus Roma pulsi sunt; L. Posthumio consule. Antiochus etiam regno philosophos pepulit, affectatoribus suspendium, parentibus eorum graues penas comminatur. Anno urbis 593. senatus consulto vrbe exire iussi sunt. Anno 615. intra diem decimum Chaldaei exire vrbe, atque Italia iussi. Atheniensium legatos philosophos Carneadem, & Diogenem Cato censuit, aut in urbem non admittendos, aut continuo dimittendos. Plutarch. in Catone. Imo vniuersum Græcos pellendos censuit; Quandoquunque gens ista suas literas dabit, omnia corrumpet, inquit. De Lyfimacho, Sophocle, Agrippa, Tiberio, Nerone, Domitiano, Vespasiano, Messenii prolixè noster Lælius lib. 3. cap. 7.

§. 2. Deinde, de innumeris vitiis, philosophos acculant, magno fastu omnes despiciunt, & sece mirantur. Tertio, non modo vitiosi videntur esse, sed philosopho vitioso nihil vitiosius, cum non philosophi, sed asoti sint; Saluian. lib. 1. cap. 4. de vero iudicio, & prouid. Dei. Nihil est, inquit, philosopho turpius, vitia obscena sectanti, quia præter eam deformitatem, quam vitia in se habent, sapientia nomen plus notatur. At Philosophi fuere vitiosissimi, non illi modo de quibus Plautus, Curc. act. 2. sc. 3.

Tum isti Græci palliati, capite aperto qui ambulant,
Qui ambulant suffarcinati cum libris, cum sportulis,
Constant, conserunt sermones inter se, tanquam dra-

peræ:
Obstant, obstant cum suis sententiis;
Quos semper bibentes esse videas in Oenopolio.
Vbi quod surripere aperto capitulo caldum bibunt,
Tristes atque ebriosi incedunt.

Sed principes eorum quoque. Nam præterquam quod plerique magicas artes didicerunt, ut de Pythagora, Empedocle, Democrito, Platone, docet Plinius lib. 30. cap. 4. Aegyptios enim & Chaldaeos adierunt, in quibus sincerioris philosophiæ parum, superstitiæ onis multum fuit. De Pythagora sane Laertius scribit; Seditiosum, & quod seditionis ansam præbet, tyrannidis fuisse cupidum. Quin & illud quantum abest à philosophiæ præceptis, quod idem Laertius, & Hermippus tradunt. Cum enim in Italiam venisset, ut impostura rudes populos deuinciret, subterraneam domum fecit, matri ut quicquid interea apud superos contingeret, annotato tempore in tabulas referret, mandauit, ac cum post annum, squalore, ac macie pene enectus emergeret, lectis clam tabulis omnia mirantibus enarrauit, apud inferos autem fuisse se mentitus est, ut ea ratione diuinitatis opinionem aucuparetur. Quam perniciosus Empedocles, qui famosæ mortis amore, in canitentem se Ætiam præcipitem egit? Socrates quoque si Aristophani credimus, strophas illas docuit, quibus iuris specie, summa iniuria homines afficiuntur, nempe facere τὸν ἥτορα, τὸν νεῖτον, malam causam dicendo bonam facere. Porphyrius de illo, ex Aristoxeno

Philosophi
vrbe sæpe
pulsi.

Vitia philo-
sophorum.

Fæda Py-
thagore
impostura.

Exotica vi-
tia philo-
sophorum.

Socrates.